

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De divinae providentiae vestigiis in traditae Augustanae confessionis negotio

Crell, Heinrich Christian

Francofurti ad Viadrum, 1730

§VII.

[urn:nbn:de:bsz:31-67545](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67545)

retractabant, & *Wormatiense* edictum exsequendum iterum urgebant, omnemque mutationem in rebus ecclesiasticis plane interdicebant. Cum vero hoc æquo animo ferre non possent Evangelici ordines, quod spes tandem obtinendæ concordiæ tam serio sibi confirmata rursus evanesceret, non poterant non huic decreto *Saxoniæ* Elector JOHANNES & PHILIPPUS *Hassæ* Princeps aliique contradicere, & tam iniquæ comitorum sententiæ intercedere, quod nunc protestari dicunt, unde protestantium nomen illis inhæsit.

§. VII.

Ista Principum Evangelicorum animosa constantia tandem Imperatori justam excitabat suspicionem, fore, ut ima summis in Imperio miscerentur, nisi mature prospiceret, & tantis Ordinum simultatibus, imo dissidiis medicam manum adhiberet. Hinc itineri in Germaniam suscipiendo accingebatur *Carolus V.* cum *Bononiæ* eo tempore a Pontifice coronam accepisset, ipsique conceptis verbis jurasset, se perpetuum fore Pontificiæ dignitatis defensore. Quam infausta consilia & quam alienos a Protestantibus animos tum Imperatori inspiraverit Pontifex, facile ex eo augurari licet, quod ex hoc momento suam in Germania auctoritatem, maleque usurpati diurnitatem dominatus pendere, probe intelligebat. Hoc sane Pontifici in ipsius negotii initio dabat Imperator, ut concilii œcumenici convocandi consilium statim abjiceret, cum ab eo Romanæ sedis Præsul suæ causæ diffusus totus abhorreret, res religionis in controversiam vocari, nefas existimans, cum igni ferroque docendi sint, qui hiscere contra ejus effata auderent. Quare litteris per omnem Germaniam missis, tot precibus votisque expetita COMITIA AUGUSTÆ VINDELICORUM A: MDXXX. celebranda indicebat Imperator, omnibusque Evangelicis Principibus hoc vel inprimis demandabat officii, ut, quidquid huc usque dissensum a Romana doctrina pepererit, quibusque argumentis illum fulcirent, luculenta ratione, se præsentem, in totius Imperii confessu probarent.

§. VIII.